



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De voluntate Dei quæ essentia Dei est, & de signis eius. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

olim sciuit se resurrecturum, & modo scit se resurrexisse. Nec est alia scientia illud olim sciuisse, & hoc modo scire, sed eadem omnino. Et sicut voluit olim resurgere, & modo resurrexisset: in quibus unius rei voluntas exprimitur: Ita potuit olim nasci & resurgere, & modo ipse potest natus fuisse & resurrexisset: & est eiusdem rei potentia. Si enim posset modo nasci & resurgere, non esset idem posse. Verba enim diuersorum temporum diuersis prolatata temporibus, & diuersis adiuncta aduerbiis, eundem faciunt sensum: ut modo loquentes dicimus, iste potest legere hodie, cras autem dicemus, iste potest legere, vel potuit legere heri: ubique unius rei monstratur potentia. Si autem diuersis temporibus loquentes, eiusdem temporis verbis & aduerbiis utamur, dicentes hodie, iste potest legere hodie, & dicentes cras, iste potest hodie legere: non idem sed diuersa dicimus eum posse. Faciamur ergo Deum semper posse quicquid semel potuit, id est, habere omnem illam potentiam quam semel habuit, & illius omnis rei potentiam cuius semel habuit: sed non semper posse facere omne illud quod aliquando potuit facere. potest quidem facere aut fecisse quod aliquando potuit. Similiter quicquid voluit & vult, id est, omnem quam habuit voluntatem, & modo habet: & cuiuscumque rei voluntatem habuit, & modo habet, non tamen vult esse vel fieri, omne quod aliquando voluit esse vel fieri, sed vult fuisse vel factum esse: Ita & de scientia Dei dicendum est.

DE VOLUNTATE DEI, QUÆ ESSENTIA DEI EST VNA & ATERNA, & DE SIGNIS EIUS.

DISTINCT. XLV.

*De quidditate
re voluntatis
Dei.*

Iam de voluntate Dei aliquid pro sensu nostri imbecillitate dicendum est. Sciendum est ergo, quia voluntas siue volens de Deo secundum essentiam dicitur. Non est enim ei aliud velle & aliud esse,

esse, sed omnino idem. Et sicut idē est ei esse bonū quod esse Deū, ita idē est ei esse volentē, quod esse Deum. Nam voluntas qua semper volens est, non affectus vel motus est, qui in Deum cadere non valet, sed diuina v̄sia qua volēs est De⁹, & huiusmodi.

Quod idem licet sit Deo velle quod esse, non tamen potest dici Deo esse omnia quæ vult. B

Et licet idem sit Deo velle quod esse, non tamen dicendum est Deum esse omnia quæ vult: quod quidam de Dei voluntate non recte sentientes, nobis obiiciunt dicentes: Si idem est Deo velle quod esse, ergo cum dicimus Deum velle omnia quæ facit, dicimus eum esse omnia quæ facit: alioquin non ibi illo verbo idem significatur, quod significatur hoc verbo esse, cum de Deo dicitur. Et si ita est, non semper dicitur de Deo velle secundum essentiam. Si vero secundum essentiam non dicitur aliquando, quomodo ergo dicitur de Deo relative enim nunquam dicitur. Ad quod dicim⁹, quia licet idem penitus sit Deo velle quod esse, non tamen potest dici omnia quæ vult: sicut idem est Deo esse quod scire, nec tamen sicut dicitur scire omnia, ita quoque potest dici esse omnia.

Obiectio querendum

Responsio. Plena in continentia solutio.

Quis sit sensus horum verborum. Deus scit, vel Deus vult.

Item, Deus scit omnia, vel vult aliquid: & quid de Deo in his prædicatur. C

Et ubicunque Deus dicitur scire vel sciens, vel velle, vel volens, hæc de eo secundum essentiam dicuntur. Cum enim dicitur, Deus scit, vel Deus vult, siue Deus est sciens vel volens, essentia diuina prædicatur, & Deus esse enūciatur. Cum autem additur, omnia, vel aliquid vel aliqua, & dicitur Deus scit omnia, vel vult aliquid vel aliqua: essentia quidem diuina prædicatur non simpliciter & absolute, sed ita vt scientiæ quæ ipse est, oīa subiecta mōstrētur, & volūtatī quæ ipsa eadē est, aliqd vel aliqua subiecta esse dicatur: vt talis fiat

R 2

sen-